



Prot. N. 03152/2024-301/24/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev.do P. Zenone Hanas, Rectore Generali Societatis Apostolatus Catholici, occasione sollempnium in honorem Sancti Fundatoris Vincentii Pallotti celebrationum quae a die IX Ianuarii MMXXV usque ad diem XXII Ianuarii MMXXVI peragentur, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) a Patribus, Sororibus, sodalibus ipsius Societatis et omnibus christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint si, totum per iubilarem annum, ecclesiam de Urbe, substit. SS.mi Salvatoris in Unda et, die XXII cuiusque mensis eiusdem anni, quodlibet templum praefatae Societati ubicumque spectans, in forma peregrinationis in viserint et iubilaribus functionibus devote interfuerint, vel saltem coram Sancti Fundatoris exuviis per congruum temporis spatium pii vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis atque Sancti Vincentii Pallotti.

Senes, infirmi necnon eos curantes omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilaribus celebrationibus se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Patres ex Societate Apostolatus Catholici, v. "Pallottini" nuncupati, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XXIII mensis Octobris, anno Dominicae Incarnationis MMXXIV.

Angelus cord. ac donati
Paenitentiarus Major

+Christophorus Josephus Nykiel
Episcopus tit. Veliensis, Regens